

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**M. Tvllii Ciceronis XII. Orationes Selectae, juxta
Recensiones optimas emendatae Et cum Notis perpetuis
ac luculentis instar Commentarii ad modum**

Cicero, Marcus Tullius

Lipsiae, 1735

VD18 12833770

Oratio II. quae est pro M. Marcello.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18041

ORATIO II.

quae est pro

M. MARCELLO.

Argumentum Orationis pro M. Marcello.

M. Cl. Marcellus Consul nomine Caesaris potentiae resistit, & de abrogando Caesari in Gallis ad quinquennium dato imperio egerat, eoque deuenerat acerbitatis, ut Nouocomensem iure Latii (quod est, ut Magistratus, quique Magistratum gesserant Nouocomi, ciues Romani ex Caesaris beneficio haberentur) gaudentem, leui de causa virgis caesum dimitteret cum contumelia, ut haec peregrinitatis notas donum referret, Caesarique plagas ostenderet. Marcellus post aciem Pharsalicam Mitylenas se contulit, illic reliquum vitae dulci otio quieturus.

Caesar autem mox post Africam triumphatam dixerat C. Marcello, Marci nostri fratri, ad Caesaris pedes procumbenti: (nam & is Caesarem deprimere studuerat, ideoque veniam petere cogebatur) se Marco quoque ad Senatus petitionem ignoscere velle; addita tamen commemoratione offensarum. Dolor exinde Marci animo insidebat, & suspicio de maiori acerbitate. Sed tamen auctoritatem ordinis Senatorii dignitatemque rei publicae suis doloribus vel suspicionibus maluit anteferre.

Orationis igitur Capita duo sunt: 1. dolor Caesaris ex acerbitate Marcelli; 2. insidiarum suspicio. Ad 1. gratias agit Cicero, quod Caesar auctoritatem Senatus & rempublicam preposuerit suis doloribus. Ad 2. diluit suspensionem de insidulis.

Status quaestionis (ita ob faciliorem intellectum fingamus) est duplex: 1. Comparatiuus; an Caesar maior victoriis, an hac clementia; & hic (quia in laude Caesaris



saris versatur) Demonstratiuum dicendi genus est. 2. deliberat: an adhuc Caesar insidias timere debeat sibi que cauere, & hic deliberatiuum genus est.

Stilus seu dicendi Character huius Orationis mediocris seu mixtus est ex sublimi & subtili; magis tamen accedit ad sublime.

Habita est haec Oratio, cum Caesar ex Africa victor rediret, anno V. C. DCCXII. C. Iulio Caesare & M. Aemilio Lepido Coss. cum Cicero LXI. annum aetatis ageret.

Euentus fuit hic: Marcellus Romam tendens a P. Magio Chilona familiari suo occisus est, in Caesarem vero nulla suspicio caedis fuit. Cicero Epist. ad famil. IV. 12. & ad Atticum XIII. 10.

II

ORATIO II.

PRO M. MARCELLO.

CAPVT I.

Diturni silentii ¹, P. C. ² quo eram his temporibus ³ vsus, non timore aliquo, sed partim dolore ⁴, partim verecundia ⁵ finem hodiernus dies attulit ⁶; idemque ⁷ initium, quae vellem, quaeque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, in-
au-

¹ intra quod tempus nulla verba feci coram populo. ² Senatores delecti. ³ belli civilis inter Iulium Caesarem & Cn. Pompeium. ⁴ propter tot ciues in illo bello occisos. ⁵ quoniam puduit me, quod arma cepi contra Caesarem. ⁶ constructio est: hodiernus dies finem attulit silentii diturni, quo eram vsus &c. ⁷ & hic idem dies attulit initium dicendi ea, quae &c.

auditamque clementiam, tantum in summa potestate, rerum omnium modum ⁸, tam denique incredibilem sapientiam ac pene diuinam, tacitus ⁹ nullo modo praeterire possum. M. enim Marcello vobis, P. C. reique pub. reddito ¹⁰, non solum illius, sed meam etiam vocem & auctoritatem, & vobis & reip. conseruatam ac restitutam puto. Dolebam enim, P. C. & vehementer angebar, cum viderem, virum talem, tum in eadem causa ¹¹, in qua ego fuisset, non in eadem esse fortuna ¹²: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari ¹³ me in nostro veteri curriculo ¹⁴, illo aemulo atque imitatore studiorum, ac laborum meorum, quasi quodam socio, a me, & comite distracto ¹⁵. Ergo & mihi & meae pristinae vitae consuetudinem, C. Cæsar, interclusam ¹⁶ aperuisti, & his omnibus ad bene de omni ¹⁷ rep. sperandum, quasi signum ¹⁸ aliquod sustulisti. Intellectum ¹⁹ est enim mihi quidem in mul-

⁸ moderationem Iulii Caesaris Victoris. ⁹ silentio. ¹⁰ postquam Marcellus restitutus est vobis & reipublicae, atque ex exilio reuocatus. ¹¹ a partibus Pompeii steterant Marcellus & Cicero. ¹² hunc Marcellum aliam experiri fortunam, quam ego expertus sum, dum Caesar me humanissime excepit, non vero Marcellum. ¹³ esse. ¹⁴ in Senatu, in foro, in quo solebam olim exerceri dicendo. ¹⁵ si hic Marcellus a me diutius abesset eo distraheretur, qui aemulatur atque imitatur studia & labores meos, atque ita velut comes ac socius meus est. ¹⁶ hactenus oppressam, intermissam. ¹⁷ tota. ¹⁸ vexillum. ¹⁹ ego enim intellexi & vidi, te anteferre auctoritatem &c.

multis ²⁰, & maxime in me ipso sed paulo ante in omnibus ²¹, cum M. Marcellum senatui populoque Romano concessisti ²², commemoratis ²³ praesertim offensionibus, te auctoritatem huius ordinis ²⁴, dignitatemque reip. tuis vel doloribus ²⁵, vel suspicionibus ²⁶, anteferre. Ille ²⁷ quidem fructum omnis vitae ante aetate ²⁸ hodierno die maximum cepit, cum summo consensu ²⁹ senatus, tum praeterea iudicio tuo grauissimo & maximo: ex quo profecto intelligis, quanta in dato ³⁰ beneficio sit laus, cum in accepto ³¹ tanta sit gloria. Est vero fortunatus ille, cuius ex salute non minor pene ad omnes, quam ad illum ³² ventura sit, laetitia peruenerit. Quod ei quidem merito, atque optimo iure contigit, quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut vlllo genere laudis praestantior ³³?

²⁰ quibus tu ignouisti, G. Caesar. ²¹ fere omnibus. ²² restituiti. ²³ postquam antea commemoraueras, quam vehementer ab ipso esses offensus. ²⁴ Senatorii. ²⁵ quoniam tanti viri te offendissent. ²⁶ quoniam vereri poteras ne alii hac clementia audaciores redderentur ad infidias tibi struendas in posterum. ²⁷ Marcellus. ²⁸ bene actae. ²⁹ per consensum Senatus, qui pro Marcello apud Caesarem est deprecatus. ³⁰ quod tu Caesar dedisti Marcello. ³¹ quod Marcellus abs te accepit. ³² Marcellum, quando in exilio audiret, te ipsum recepisse in gratiam. ³³ Marcellus omnes excellit.

CAPVT II.

Nullius tantum est flumen ingenii ¹, nulla dicen-

¹ Copia bene cogitandi multa.

cendi, aut scribendi tanta vis ², tanta copia, quae
 non dicam exornare ³, sed enarrare ⁴, C. Caesar,
 res tuas gestas possit: tamen hoc affirmo, & hoc
 pace ⁵ dicam tua, nullam in his ⁶ esse laudem
 ampliorem ⁷, quam eam ⁸, quam hodierno die con-
 secutus es. Soleo saepe ante oculos ponere, id-
 que libenter crebris vsurpare ⁹ sermonibus, om-
 nes ¹⁰ nostrorum imperatorum, omnes exte-
 rarum gentium potentissimorumque populorum,
 omnes clarissimorum regum res gestas cum tuis
¹¹ nec contentionum ¹² magnitudine, nec nu-
 mero proeliorum, nec varietate regionum ¹³,
 nec celeritate conficiendi ¹⁴, nec dissimilitudine
¹⁵ bellorum posse conferri ¹⁶. Nec vero disiun-
 ctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse
 peragrari ¹⁷, quam tuis non dicam cursibus, sed
 victoriis illustratae sunt. Quae ¹⁸ quidem ego ni-
 si ita magna esse fatear, vt ea vix cuiusquam mens,
 aut cogitatio capere ¹⁹ possit, amens sim: sed
 tamen

² copia, facultas. ³ eleganter laudare. ⁴ simplici non
 ornato sermone. ⁵ permissu tuo, cum venia tua. ⁶ rebus
 gestis tuis. ⁷ maiorem, praestantiolem. ⁸ laudem clemen-
 tia e eiga Marcellum. ⁹ proferre, dicere. ¹⁰ res gestas. ¹¹
 rebus gestis. ¹² laborum, operis, constantiae in bello per-
 sequendo. ¹³ propter varias regiones, in quibus bellum
 gessisti. ¹⁴ perducendi bella ad finem. ¹⁵ Caesar enim
 & bella ciuilia gessit & externa. ¹⁶ comparari. ¹⁷ etiam
 hoc affirmo, neminem potuisse longissime distans terras
 citius passibus peragraré, quam tu eas non peragraſti so-
 lum, sed etiam occupasti & vicisti. ¹⁸ quas res gestas. ¹⁹
 recte ponderare, vt vix quisquam credere possit. tantas res
 potuisse ab vno homine geri.

tamen sunt ²⁰ alia maiora. Nam bellicas laudes ²¹ solent quidam extenuare verbis easque detrahere ducibus, communicare ²² cum multis ²³, ne propriae sint ²⁴ imperatorum. Et certe in armis, militum virtus ²⁵, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus ²⁶, multum iuvant: maximam vero partem ²⁷ quasi suo iure fortuna sibi vindicat ²⁸: & quidquid est prospere gestum, id pene omne ducit suum ²⁹. At vero huius gloriae, C. Caesar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem ³⁰, totum hoc, quantumcunque ³¹ est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum ³². Nihil sibi ex ista laude centurio ³³, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit ³⁴, quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina ³⁵, Fortuna, in istius se societatem gloriae non offert ³⁶: tibi cedit, tuam ³⁷ esse totam, & propriam fateatur. Nunquam enim temeritas cum sapientia commisceatur, nec ad consilium casus admittitur ³⁸.

²⁰ supersunt enarranda adhuc alia maiora nempe virtutes tuae. ²¹ laudes in bellis acquisitas. ²² communes facere. ²³ militibus, dum scilicet Imperator solus sine militibus laudem acquirere non potest. ²⁴ ne Imperatores sibi solis arrogant omnem laudem bellicam. ²⁵ fortitudo. ²⁶ annona, *Proriant*. ²⁷ laudis. ²⁸ attribuit. ²⁹ sibi attribuit. ³⁰ sed vero tu solus hanc habes gloriam quam es paulo ante adeptus, dum M. Marcello ignovisti. ³¹ quam magnum etiam. ³² tibi soli adscribendum est. ³³ qui praestit equitibus. ³⁴ attribuit, arrogat. ³⁵ gubernatrix. ³⁶ non vult habere partem huius tuae gloriae. ³⁷ hanc gloriam. ³⁸ nec casui fortuito adscribi debet illud, quod factum est bono & mortuo consilio.

CAP.

CAPVT III.

DOmisti gentes immanitate ¹ barbaras, multitudi-
 ne innumerabiles, locis infinitas ²,
 omni copiarum ³ genere abundantes: sed tamen
 ea vicisti, quae & naturam, & conditionem, vt vin-
 ci possent, habebant ⁴. Nulla est enim tanta vis,
 quae non ferro; ac viribus debilitari frangique
 possit: verum animum vincere ⁵, iracundiam co-
 hibere, victoriam temperare ⁶, adversarium no-
 bilitate, ingenio, virtute praestantem ⁷, non mo-
 do extollere iacentem ⁸, sed etiam amplificare ⁹
 eius pristinam dignitatem, haec qui faciat, non ¹⁰
 ego eum cum summis viris comparo, sed similli-
 mum deo iudico. Itaque, C. Caesar, bellicae tuae
 laudes celebrabuntur illae quidem non solum
 nostris ¹¹, sed pene omnium gentium literis atque
 linguis: neque vlla vnquam aetas ¹² de tuis laudi-
 bus conticescet ¹³. Sed tamen eiusmodi res ¹⁴, ne-
 scio quomodo, etiam cum leguntur, obstrepi cla-
 more militum videntur, & tubarum sono ¹⁵. At
 vero cum aliquid clementer, mansuete, iuste, mo-
 de-

¹ Propter crudelitatem suam. ² quae in locis quam-
 plurimis vivunt. ³ militum, fructuum, diuitiarum. ⁴
 quorum natura & conditio siue status talis erat, vt
 vinci potuerint. ⁵ moderari suos affectus. ⁶ in vi-
 ctoria continere se ab omni crudelitate. ⁷ conspicu-
 um, eminentem, excellentem. ⁸ quando victus est. ⁹
 augere, maiorem facere. ¹⁰ non tantum. ¹¹ litteris,
 scriptis, libris, in. ¹² tempus. ¹³ tacebit. ¹⁴ bellicae.
¹⁵ quando de rebus bellicis aut audimus aut legimus,
 tunc videmur audire strepitus & clamores militum & so-
 num tubarum.

derate, sapienter factum ¹⁶, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio ¹⁷, & in victoria, quae natura ¹⁸ insolens & superba est, aut audimus, aut legimus: quo studio ¹⁹ incendimur ²⁰, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis ²¹, ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus? Te ²² vero, quem praesentem intuemur, cuius mentem ²³, sensusque, & res cernimus, ut ²⁴, quidquid belli fortuna reliquum reip. fecerit, id esse saluum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis ²⁵ prosequemur? qua benevolentia complectemur? Parietes, medius fidius ²⁶, C. Caesar, ut mihi videtur, huius curiae, tibi gratias agere gestiunt ²⁷, quod ²⁸ breui tempore futura sit ²⁹ illa auctoritas in his maiorum suorum, & suis sedibus ³⁰.

¹⁶ esse aut legimus aut audimus. ¹⁷ dum scilicet homo iracundus certum consilium capere non potest, sed omnia temere agit. ¹⁸ in sua natura. ¹⁹ quanto amore. ²⁰ permouemur. ²¹ rebus, in fabulis, in quibus tantum res fictae non verae enarrantur. ²² Caesar. ²³ facilem, liberalem, clementem. ²⁴ quam vehementer velis, ut id, quod ex calamitatibus belli reliquum adhuc est, in republica conseruetur. ²⁵ quanto amore. ²⁶ profecto, certe. ²⁷ volunt, cupiunt. ²⁸ ideo, quod. ²⁹ reditura sit. ³⁰ in Senatu.

CAPVT IV.

Equidem cum C. Marcelli, viri optimi, & commemorabili ¹ pietate praediti lacrimas modo ² vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum
pectus

¹ Singularem. ² paullo ante.

pectus memoria effodit ³, quibus tu ⁴ etiam mortuis, M. Marcello conseruato dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam, iam ad paucos ⁵ redactam, pene ab interitu vindicasti ⁶. Hunc tu igitur diem ⁷ tuis maximis & innumerabilibus gratulationibus ⁸ iure antepones. Haec enim res ⁹ vnus est propria ¹⁰ Caesaris: ceterae dice te ¹¹ gestae, magnae illae quidem, sed tamen multo magnoque comitatu ¹². Huius autem rei tu idem ¹³ es & dux, & comes; quae ¹⁴ quidem tanta est, vt tropaeis monumentisque ¹⁵ tuis allatura sit finem aetas ¹⁶: nihil enim est opere ¹⁷, aut manu factum ¹⁸, quod aliquando non conficiat ¹⁹ & consumat vetustas ²⁰: At vero haec tua iustitia, & lenitas ²¹ animi florescet ²² quotidie magis, ita, vt, quantum operibus tuis ²³ diurnitas detrahet ²⁴, tantum adferat ²⁵ lau-

³ pectus meum quasi telo effossum fuit, cum de Marcellis omnibus, tantis viris cogitarem. ⁴ Caesar. ⁵ in qua familia iam pauci adhuc supersunt. ⁶ liberasti, eripuisti. ⁷ in quo seruasti & restituisi M. Marcellum. ⁸ illis diebus omnibus, in quibus tibi gratulatus est publice populus Romanus de rebus praeclare gestis. ⁹ Clementia Marcello ostensa. ¹⁰ tibi soli debetur & adscribenda est. ¹¹ sub ductu tuo. ¹² tu autem illas res non solus gessisti, sed in comitatu multorum militum. ¹³ solus. ¹⁴ res, clementia. ¹⁵ aedificiis, quae exstructa fuerunt ad aeternandam memoriam rerum abs te gestarum. ¹⁶ tempus. ¹⁷ labore hominum. ¹⁸ exstructum. ¹⁹ excedat, consumat, corrumpat. ²⁰ longum tempus. ²¹ Clementia. ²² perpetuam gloriam habebit. ²³ monumentis & tropaeis tuis. ²⁴ ex illis consumet.

25 ad

25 laudibus 26. Et ceteros 27 quidem omnes victores bellorum 28 ciuiliū, iam ante aequitate, & misericordia viceras: hodierno vero die te ipsam 29 vicisti. Vereor, vt hoc, quod dicam, non perinde 30 intelligi 31 auditu possit, atque 32 ego ipse cogitans sentio 33. Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quae illa erat adepta, victis remisisti 34. Nam cum ipsius victoriae 35 conditione iure omnes victi occidissemus 36, clementiae tuae iudicio 37 conseruati sumus. Recte igitur vnus inuictus es, a quo etiam ipsius victoriae conditio 38 visque deuicta est.

25 adponat, adiciat. 26 t. is. 27 Mariū, Syllam, Cinncinam, Octauium. 28 in bellis ciuilibus. 29 ea omnia, quae haecenus fecisti. 30 ita accurate. 31 percipi ab omnibus. 32 quam. 33 in animo. 34 quando poenam & mortem, quam victi debuissent pati, ipsis pro tua clementia remisisti. 35 vti solet in victoria fieri. 36 occidere & perire debuissemus. 37 instinctu, voluntate. 38 ratio, consuetudo.

CAPVT V,

ATque hoc C. Cæsaris iudicium 1, P. C. quam late pateat 2 attendite 3. Omnes enim, qui ad illa arma fato 4 sumus, nescio quo, reipublicae misero 5 funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani 6, a scelere certe liberati sumus

1 Clementia. 2 in quam multos illa extendatur & deriuetur. 3 obseruate. 4 ex voluntate & permisso deorum. 5 quod fatum, miseriam & calamitatem attulit reipublicae Romanae. 6 etsi aliquem culpam habemus in hoc errore, (si quidem homines facile possunt errare,) quod putamus

mus 7. Nam cum 8 M. Marcellum deprecanti-
 bus vobis 9, reipublicae conseruauit: memet 10
 mihi 11, & item 12 reipublicae nullo deprecante,
 reliquos amplissimos viros, & sibi ipsis 13, & pa-
 triae reddidit: quorum & frequentiam, & digni-
 tatem hoc ipso in confessu 14 videtis: non ille
 hostes induxit in curiam, sed iudicauit 15, a ple-
 risque ignoratione 16 potius, & falso atque inani
 metu, quam 17 cupiditate aut crudelitate 18 ciui-
 le bellum esse susceptum 19. Quo quidem in bel-
 lo semper de pace agendum audiendumque esse
 putauit, semperque doluit, non modo pacem,
 sed orationem 20 etiam ciuium pacem efflagitan-
 tium, repudiari 21. Neque enim ego illa, nec vl-
 la vnquam secutus sum arma ciuilia: semperque
 mea consilia, pacis & togae socia, non belli atque
 armorum fuerunt 22. Hominem 23 sum secutus 24
 priuato officio 25, non publico 26: tantumque
 apud

tauimus, Caesarem velle euertere rempublicam. 7 cer-
 tum tamen est, quod nullum scelus commiserimus. 8
 cum C. Caesare. 9 Senatoribus, dum vos pro ipso estis
 precati. 10 Ciceronem. 11 me restituit in pristi-
 nam dignitatem. 12 perinde etiam. 13 pristinae
 ipsorum dignitati & honori. 14 in hac curia. 15 pu-
 tauit, arbitratus est prudenter. 16 ex ignorantia.
 17 quam ex. 18 scelere. 19 coeptum, gestum. 20
 preces. 21 reiici, contemni. 22 & ego semper me
 associaui illis, qui pacem suaserunt, non vero his, qui
 ad bellum gerendum dederunt consilium. 23 Cn. Pom-
 peium. 24 ab eius partibus steti. 25 quoniam Pompe-
 ius plurimis beneficiis me sibi deuinxerat, & ideo ego
 ab amicis eius recedere nolui. 26 non auctoritate pu-
 blica, aut eo tempore, quo ego officium in republica
 susti-

apud me grati ²⁷ animi fidelis ²⁸ memoria valuit,
 vt nulla non modo cupiditate ²⁹, sed ne spe ³⁰
 quidem, prudens & sciens, tanquam ad interitum
 ruerem voluntarium. Quod quidem meum con-
 filium ³¹ minime obscurum ³² fuit. Nam in hoc
 ordine ³³ integra re ³⁴, multa de pace dixi, & in
 ipso bello eadem ³⁵ etiam cum capitis ³⁶ mei pe-
 riculo sensi. Ex quo ³⁷ nemo erit tam iniustus
 rerum ³⁸ aestimator, qui dubitet, quae Caesaris
 voluntas ³⁹ de bello fuerit, cum ⁴⁰ pacis aucto-
 res ⁴¹ conseruandos statim censuerit, ceteris ⁴²
 fuerit iratior. Atque id minus mirum fortasse tum
⁴³, cum esset incertus exitus ⁴⁴, & anceps ⁴⁵ for-
 tuna belli. Qui vero victor, pacis auctores dili-
 git, is profecto declarat, se maluisse non dimicare
⁴⁶, quam vincere.

sustinui. ²⁷ erga Pompeium. ²⁸ constans ex nulla. ²⁹
 auaritia, scelere, desiderio nouas res moliendi. ³⁰ ex spe
 aliqua ditescendi aut potentiam meam augendi. ³¹ ani-
 mus, intentio, voluntas. ³² omnibus notum. ³³ Sena-
 tu. ³⁴ cum nondum deuentum esset ad arma, cum bellum
 ciuile nondum constatum esset. ³⁵ eadem pacis consilia
 habui & pacem suasi. ³⁶ vitae. ³⁷ ex qua causa. ³⁸ hacte-
 nus gestarum in bello ciuili. ³⁹ quis scopus Caesaris fue-
 rit in hoc toto bello. ⁴⁰ dum. ⁴¹ suafores. ⁴² qui ad ar-
 ma animos concitarunt & pacem non suaserunt. ⁴³ illo
 tempore. ⁴⁴ euentus belli. ⁴⁵ dubia, incerta, cum ne-
 sciremus quaenam pars victoriam esset reportatura. ⁴⁶
 bellum ciuile gerere & cum ciuibus pugnare.

CAPVT VI.

ATque huius quidem rei M. Marcello sum te-
 stis

stis ¹. Nostri enim sensus ², vt in pace semper, sic
 tum ³ etiam in bello congruebant. Quoties ego
 eum ⁴, & quanto cum dolore vidi, cum ⁵ insolentiam
 certorum hominum ⁶, tum ⁷ etiam ipsius
 victoriae ⁸ ferocitatem ⁹ extimescentem? Quo ¹⁰
 gratior tua liberalitas, C. Caesar, nobis, qui illa ¹¹
 vidimus, debet esse. Non enim iam causae ¹² sunt
 inter se, sed victoriae comparandae. Vidimus,
 tuam victoriam proeliorum exitu terminatam ¹³:
 gladium vagina vacuum in vrbe ¹⁴ non vidimus,
 quos amisimus ciues, eos Martis ¹⁵ vis perculit
¹⁶ non ira ¹⁷ victoriae: vt dubitare debeat nemo,
 quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis ¹⁸
 excitaret ¹⁹, quoniam ex eadem acie ²⁰ conseruat,
 quos potest ²¹. Alterius vero partis, nihil
 amplius dicam, quam id, quod omnes verebamur,
 nimis iracundam futuram fuisse victoriam ²².
 Quidam ²³ enim non modo armatis,
 sed

¹ Atque ego testoriam, quod eandem M. Marcellus habuerit sententiam, quam ego. ² sententiae, voluntates. ³ illo tempore. ⁴ extimescentem. ⁵ tam. ⁶ qui erant a partibus Pompeii. ⁷ quam. ⁸ si tam impetrasset Pompeius. ⁹ crudelitatem. ¹⁰ eo. ¹¹ hanc differentiam inter tuam & Pompeii victoriam. ¹² causae belli ciuiliis. ¹³ finitam. ¹⁴ Roma. ¹⁵ belli. ¹⁶ occidit. ¹⁷ crudelitas. ¹⁸ e mortuis, e terra. ¹⁹ resuscitaret, excitaturus esset. ²⁰ post aciem. ²¹ omnes istos, quos seruare potest. ²² constructio est: Nihil amplius dico, quam id, quod omnes verebamur, victoriam alterius partis (nempe Pompeianae) futuram fuisse nimis iracundam siue crudelem. ²³ e Pompeianis.

sed interdum etiam otiosis ²⁴ minabantur: nec, quid quisque sensisset ²⁵, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur dii immortales etiam si poenas a populo Romano ob aliquod delictum expetiuerint ²⁶, qui ²⁷ ciuile bellum tantum, & tam luctuosum excitauerunt, vel placati iam, vel etiam satiati ²⁸ aliquando ²⁹ omnem spem salutis ad clementiam victoris, & sapientiam contulisse ³⁰. Quare gaude tuo isto ³¹ tam excellenti bono ³²: & fruire ³³ cum fortuna & gloria, tum etiam natura, & moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus ³⁴ iucunditasque sapienti ³⁵. Cetera cum tua ³⁶ recordabere, etsi ³⁷ persaepe virtuti: tamen plerumque felicitati tuae congratulabere. De nobis, quos in republica tecum simul saluos esse ³⁸ voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties

²⁴ his, qui in otio viuebant, neutri parti adhaerentes. ²⁵ & qui dicebant, non id respiciendum esse, quam hic vel iste sententiam de bello aut de pace habuisset, sed id, cui parti adhaesisset, an Pompeio an Caesari. ²⁶ punire voluerint populum Romanum. ²⁷ dum, quoniam. ²⁸ sanguine effuso. ²⁹ tandem. ³⁰ dii immortales mihi videntur id velle, ut nos victi omnem spem salutis & sapientiam a Caesare victore petamus. ³¹ propter istud. ³² clementiae. ³³ & solus percipe fructus gloriae & fortunae clementiaeque, quam natura & mores tui suadent. ³⁴ voluntas. ³⁵ sapiens percipit, in sapientem promanat. ³⁶ res a te gestas. ³⁷ etsi congratulabere. ³⁸ conseruare.

39 sed

ties de singulari sapientia tua cogitabis : quae non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere 39. Tantus est enim splendor 40 in laude vera, tanta 41 in magnitudine animi & consilii dignitas, vt haec 42 a virtute donata 43, cetera 44 a fortuna commodata esse videantur. Noli igitur in conseruandis bonis viris defatigari 45, non cupiditate praesertim, aut prauitate aliqua lapsis 46, sed opinione 47 officii, stulta 48 fortasse, certe non improba, & specie 49 quadam reipublicae. Non enim tua vlla culpa est, si te aliqui timuerunt : contraque summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt 50.

39 sed audebo etiam id dicere, haec bona sola mereri nomen bonorum. 40 honor. 41 dignitas & gloria. 42 magnitudo animi & clementia. 43 bona omnia. 44 hominibus. 45 velis igitur adhuc plures viros bonos in posterum conseruare. 46 qui lapsi sunt, errauerunt. 47 dum crediderunt, se obligari ad Pompeium sequendum. 48 inconsiderata opinione. 49 cum persuaderentur speciose, Pompeium intendere libertates reipublicae & defensionem legum. 50 non tu in causa es, quod aliqui te timuerunt : sed summam laudem ideo mereris, quod plerique putarunt, te non esse timendum, cum perpetua clementia omnibus constaret.

CAPVT VII.

Nunc vero venio ad grauissimam ¹ querelam, & atrocissimam suspicionem tuam : quae non tibi ipsi magis, quam cum omnibus ciuibus, tum maxime

¹ Singularem.



maxime nobis, qui a te conseruati sumus, prouidenda est ²; quam ³ etsi spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio ⁴, nostra cautio est: vt, si in alterutro ⁵ peccandum ⁶ sit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens ⁷. Sed quisnam est iste tam demens ⁸? de tuisne ⁹? tametsi qui ¹⁰ magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus ¹¹ reddidisti? an ¹² ex eo numero, qui vna tecum fuerunt ¹³? non est credibilis tantus in vlllo furor ¹⁴, vt, quo duce ¹⁵ omnia summa ¹⁶ sit adeptus, huius vitam non anteponat suae. An si tui ¹⁷ nihil cogitant sceleris ¹⁸, cauendum est, ne quid ¹⁹ inimici. Qui ²⁰? omnes enim, qui fuerunt ²¹, aut sua ²² pertinacia vitam amiserunt, aut tua ²³ misericordia retinuerunt: vt aut ²⁴ nulli supersint de inimicis, aut qui superfuerunt, amicissimi ²⁵ sint

² a qua suspicione non tam tu cauere debes, quam nos ipsi, & omnes ciues. ³ suspensionem. ⁴ prouidentia. ⁵ timore vel securitate. ⁶ excedendum. ⁷ prouidus, cautus. ⁸ qui audeat tibi insidiari. ⁹ anne vero est vnus ex tuis? ¹⁰ quinam magis tibi adhaerent, quam illi, quibus. ¹¹ cum de salute sua iam desperarent. ¹² an est ille ex eodem numero. ¹³ dimicauerunt, a partibus tuis steterunt, contra Pompeium. ¹⁴ non est credibile, tantum furorem, audaciam & dementiam fore in vlllo homine. ¹⁵ sub cuius ductu. ¹⁶ summa beneficia, victoriam. ¹⁷ qui tibi adhaerent. ¹⁸ de nullis insidiis vitae tuae. ¹⁹ ne inimici cogitent aliquid sceleris & tibi insidientur. ²⁰ quinam vero sunt illi inimici tui? ²¹ tui inimici. ²² per suam. ²³ per tuam. ²⁴ aut illi, qui ex inimicis adhuc forte superfuerunt.

²⁵ sint. Sed tamen, cum ²⁶ in animis hominum tantae latebrae ²⁷ sint, & tanti ²⁸ recessus ²⁹, augeamus sane suspicionem tuam: simul enim augebimus & diligentiam ³⁰. Nam quis est omnium tam ignarus rerum ³¹, tam rudis ³² in republica, tam nihil vnquam nec de sua ³³, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat tua salute contineri suam ³⁴? & ex vnus tua vita pendere omnium ³⁵? Equidem de te dies noctesque, vt debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, & incertos euentus valetudinis ³⁶, & naturae communis fragilitatem extimesco: doleoque, cum republica immortalis esse debeat, eam ³⁷ in vnus mortalis ³⁸ anima consistere. Si vero ad humanos casus, incertosque motus valetudinis, sceleris etiam ³⁹ accedat, insidiarumque consensio: quem deum, etiam si cupiat ⁴⁰, opitulari ⁴¹ posse reipublicae credamus?

²⁵ maxime amici nunc tibi sint. ²⁶ quoniam. ²⁷ cogitationes obscurae & secretae. ²⁸ tam occulti. ²⁹ viae. ³⁰ cautionem. ³¹ haecenus gestorum. ³² imperitus. ³³ salute. ³⁴ quod ex tua, Caesar, salute ipsius quoque salus penderit. ³⁵ vitam. ³⁶ sanitatis, quae variis ensibus obnoxia est. ³⁷ reipublicam. ³⁸ hominis, quem mori oportet. ³⁹ adhuc etiam. ⁴⁰ etiam si aliquis deus vel maxime cupiat opitulari reipublicae. ⁴¹ auxilium ferre.

CAPVT VIII.

OMnia sunt excitanda ¹ tibi, C. Caesar, vni, quae iacere sentis, belli ipso impetu ², quod necesse fuit,

¹ Tu excitare, exigere, & in meliorem ordinem redigere debes omnia ea, quae perculsa ac prostrata vides iacere humi. ² per imperum.

C 2

3 quod

fuit 3, perculsa, atque prostrata : constituenda 4 iudicia, reuocanda fides 5, comprimendae libidines 6, propaganda soboles 7: omnia, quae dilapsa iam fluxerunt 8, seueris legibus, vincienda 9 sunt. Non fuit recusandum 10 in tanto ciuili bello, tantoque animorum ardore & armorum, quin quassata 11 respublica, quicunque belli euentus fuisset 12, multa perderet & ornamenta dignitatis, & praesidia stabilitatis suae 13: multaque 14 vterque dux 15 faceret armatus, quae idem 16 togatus 17 fieri prohibuisset. Quae quidem nunc tibi 18 omnia belli vulnera curanda sunt: quibus 19, praeter te, mederi nemo potest. Itaque illam tuam praeclarissimam & sapientissimam vocem 20 inuitus 21 audiui: **SATIS TE DIV VEL NATVRAE 22 VIXISSE, VEL GLORIAE.** Satis 23, si ita vis 24, naturae fortasse:

3 quod aliter fieri aut esse non potuit. 4 sunt. 5 inter creditores & debitores. 6 scortationes vagae. 7 ita vt cogantur iuuenes coelibes contrahere matrimonia. 8 corruerunt. 9 rursus coniungenda, constituenda sunt. 10 non potest aliter fieri. 11 labefactata, concussa, debilitata. 12 quocunque tandem modo bellum euenisset. 13 multa, ex quibus respublica haberet alias ornamentum & praesidium, ne posset corruere. 14 & quin multa. 15 Pompeius ac Caesar. 16 dux vterque. 17 si bellum non gessissent, sed tranquille vixissent in republica. 18 tu, Caesar, curare debes haec omnia vulnera belli. 19 vulneribus. 20 orationem, sermonem. 21 contra voluntatem meam. 22 quoad naturae cursum; iam tum enim Caesar expleuerat annum 54. 23 vixisse. 24 quoniam ita tibi placet.

25 pace

se: addo etiam, si placet ²⁵, gloriae ²⁶: at quod maximum est, patriae certe parum ²⁷. Quare omitte ²⁸, quaeso, istam doctorum hominum ²⁹ in contemnenda morte prudentiam: noli ³⁰ nostro periculo sapiens esse. Saepe enim venit ad aures meas ³¹, te idem istud nimis crebro dicere, SATIS TE TIBI VIXISSE. Credo: sed tum id audirem ³², si tibi ³³ soli viueres, aut si tibi etiam soli ³⁴ natus esses. Nunc cum omnium salutem ciuium, cunctamque rempubl. res tuae gestae complexae sint ³⁵: tantum ³⁶ abes a perfectione maximorum operum ³⁷, vt fundamenta, quae cogitas, nondum ieceris. Hic tu modum tuae vitae, non salute reipublicae, sed aequitate animi defines ³⁸? quid ³⁹, si istud ne gloriae quidem tuae satis est? cuius ⁴⁰ te esse auidissimum, quamuis sis sapiens, non negabis. Parumne ⁴¹ igitur, inquires, (gloriam magnam) relinquemus?

Imo

CARTIVS

²⁵ pace tua, permissu tuo. ²⁶ vixisti. ²⁷ nimis breuiter vixisti. ²⁸ se pone paulisper. ²⁹ Philosophorum. ³⁰ noli addiscere hanc sapientiam de morte contemnenda, quoniam ingens ex morte tua in rempublicam periculum erit. ³¹ ego audio, mihi narratur. ³² libenter. ³³ naturae & gloriae tuae. ³⁴ pro te solo. ³⁵ iam vero, dum per res a te gestas salutem ciuium quaeris & certum ordinem in republica. ³⁶ tam longe adhuc. ³⁷ magni huius operis, quod meditaris. ³⁸ an tu vero iam modum vis ponere & statuere vitae tuae, non iuxta salutem reip. sed solum iuxta voluntatem & tranquillitatem animi tui? ³⁹ quid respondebis, si dicam istud mortis desiderium nondum esse satis ad gloriam tuam perficiendam. ⁴⁰ gloriae. ⁴¹ gloriae.

C 3

42 re-



Imo vero ⁴² aliis, quamuis multis, satis: tibi vni
parum ⁴³. Quidquid enim est, quamuis amplum
⁴⁴ sit, id certe parum est tum, cum est aliquid am-
plius ⁴⁵. Quod si ⁴⁶ rerum tuarum immortalium
⁴⁷, C. Caesar, hic exitus futurus fuit ⁴⁸, vt, deu-
ctis aduersariis, rempublicam in eo statu relinque-
res, in quo nunc est: vide, quaeso, ne tua diuina
virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriae
⁴⁹: siquidem ⁵⁰ gloria est illustris ac peruagata ⁵¹
multorum ⁵² & magnorum vel in ⁵³ suos ciues, vel
patriam, vel in omne genus hominum, fama meri-
torum.

⁴² relinquis satis gloriae. ⁴³ gloriae relinquis. ⁴⁴ ma-
ius, excellens. ⁴⁵ maius, excellentius. ⁴⁶ si vero. ⁴⁷
quae externam laudem merentur. ⁴⁸ hic finis esse debuit.
⁴⁹ ipse, quaeso, expende, annon homines magis admira-
turi sint tuam diuinam virtutem, quam tuam gloriam;
⁵⁰ quandoquidem, nam. ⁵¹ vbiq; nota & celebris. ⁵²
meritorum & beneficiorum. ⁵³ erga.

CAPVT IX.

HAec igitur tibi reliqua pars est ¹: hic restat
aetus ²: in hoc elaborandum est, vt rem-
publicam constituas ³, eaque tu imprimis
composita ⁴, summa tranquillitate & otio
perfruire: tum ⁵ te, si voles, cum & pa-
triae, quod debes, solueris ⁶, & naturam ipsam
expleueris satietate viuendi ⁷, satis diu vixisse
di.

¹ Est adhuc perficienda. ² vltimus tanquam in comoe-
dia. ³ in bonum ordinem redigas. ⁴ & postquam com-
posueris rem publicam. ⁵ tunc, si hoc feceris. ⁶ praesti-
teris. ⁷ & quando satis vixeris naturae.

2 diu-

dicito. Quid est enim omnium hoc ipsum diu ⁸,
 in quo est aliquid extremum ⁹, quod ¹⁰ cum ¹¹
 venerit, omnis voluptas praeterita pro nihilo ¹²
 est, quia postea nulla ¹³ futura sit? quanquam iste
 tuus animus nunquam his ¹⁴ angustiis, quas na-
 tura nobis ad viuendum dedit, contentus fuit,
 semperque immortalitatis amore flagrauit. Nec
 vero haec tua vita ducenda ¹⁵ est, quae corpo-
 re & spiritu continetur ¹⁶; illa, inquam, illa
 vita est tua, Caesar, quae vigebit ¹⁷ memoria
 seculorum omnium: quam ¹⁸ posteritas alet
¹⁹, quam ipsa aeternitas semper tuebitur ²⁰.
 Huic ²¹ tu inservias, huic te ostentes, oportet:
 quae quidem, quae miretur, iampridem
 multa habet ²²; nunc etiam ²³, quae lau-
 det, expectat. Obstupefcent posteri certe
 imperia ²⁴, prouincias ²⁵, Rhenum ²⁶, Ocea-
 num ²⁷, Nilum ²⁸, pugnas innumerabiles, in-
 cre-

⁸ diuturnitas. ⁹ vltimum. ¹⁰ extremum. ¹¹ quando.
¹² nihil. ¹³ voluptas. ¹⁴ hoc breui spatio & tempore.
¹⁵ putanda, non vero putare debes, hanc esse viam tuam.
¹⁶ quae tamdiu durat, quamdiu anima vel spiritus in cor-
 pore est. ¹⁷ florebit, permanebit in memoria. ¹⁸ vitam
 seu perpetuam tui memoriam. ¹⁹ conseruare studebit.
²⁰ conseruabit. ²¹ vitae & immortalitati oportet vt tu
 studeas, & magnitudinem animi tui ostentes, tum eam de-
 sideras. ²² equidem haec posteritas habet iam multas res,
 quas in te possit mirari. ²³ etiam ea, quae posteritas pos-
 sit laudare. ²⁴ magistratus summos, quos gessisti. ²⁵ abs
 te victas. ²⁶ quem tu primus ponte iunxisti. ²⁷ quem
 saepius cum classe occupasti. ²⁸ Aegyptum, vbi Ptol-
 maeum superasti.

credibiles victorias, monumenta, munera ²⁹, triumphos audientes & legentes tuos ³⁰. Sed, nisi haec vrbs ³¹ stabilita tuis consiliis & institutis erit ³², vagabitur modo ³³ nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit ³⁴, magna dissensio ³⁵, cum ³⁶ alii laudibus ad coelum res tuas gestas efferent: alii fortasse aliquid requirent ³⁷, idque ³⁸ vel maximum, nisi belli ciuilis incendium salute ³⁹ patriae restinxis: vt illud fati fuisse videatur, hoc consilii ⁴⁰. Serui ⁴¹ igitur iis etiam iudicibus, qui multis post seculis de te iudicabunt: & quidem haud scio, an ⁴² incorruptius ⁴³, quam nos ⁴⁴. Nam ⁴⁵ & sine amore & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine inuidia iudicabunt. Id autem, etiam si tunc ⁴⁶ ad te, vt quidam

²⁹ populo data dona, nempe congiaria, epulas, viscerationes, ludos scenicos & theatrales, gladiatorios, naumachiam &c. ³⁰ posterii, qui audient & legent tuos triumphos, imperia &c. ³¹ Roma. ³² confirmabitur, in bonum ordinem redigetur. ³³ tantummodo. ³⁴ talis dissensio. ³⁵ posterii in diuersas ibunt sententias de te. ³⁶ quando, dum. ³⁷ adhuc desiderabunt in rebus tuis gestis. ³⁸ & hoc maximum & praecipuum erit, quod posterii in te requirunt. ³⁹ per salutem & restitutionem. ⁴⁰ vt videri possit, bellum ciuile fuisse a fato seu voluntate deorum excitatum, sed restitutionem patriae attribuendam esse prudentiae tuorum consiliorum. ⁴¹ seruire, attendere debes & vereri illos iudices actionum tuarum. ⁴² anno iudicaturi sint de rebus tuis. ⁴³ maiori cum libertate & sinceritate. ⁴⁴ iudicamus. ⁴⁵ nam posterii. ⁴⁶ olim.

47 etiam-

dam falso putant, non pertinebit 47 : nunc certe pertinet 48, esse te talem, vt tuas laudes obscuratura 49 nulla vnquam sit obliuio.

47 etiamsi quidam falso putant, te non debere curare, quid olim posteri iudicaturi sint de te. 48 tamen profecto nunc curare debes. 49 obscurare possit.

CAPVT X.

Diuersae voluntates ¹ ciuium fuerunt, distractaeque ² sententiae. Non enim consiliis solum, & studiis ³; sed armis etiam, & castris diffidebamus. Erat autem obscuritas quaedam ⁴, erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant ⁵, quid optimum esset: multi ⁶, quid sibi expediret ⁷: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret ⁸. Perfunctâ res publica est ⁹ hoc misero fatalique ¹⁰ bello: vicit is ¹¹, qui non fortuna ¹² inflammaret odium suum, sed bonitate ¹³ leniret, nec qui ¹⁴ omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exilio, aut morte dignos iudicaret. Arma ab aliis posita ¹⁵, ab aliis erepta sunt. Ingratus est, iniustusque ciuis, qui armorum ¹⁶ periculo liberatus, animam tamen retinet

¹ Sententiae. ² discordes, variae. ³ voluntatibus. ⁴ obscurum & incertum erat, quanam pars sequenda esset, num Pompeii, an Caesaris. ⁵ ignorabant. ⁶ ignorabant. ⁷ vtile esset. ⁸ iustum & fas esset. ⁹ pertulit, superauit. ¹⁰ quod fata excitauerunt. ¹¹ Caesar. ¹² cum fortunam haberet fauentem. ¹³ Clementis. ¹⁴ & qui non. ¹⁵ sponte seposita sunt arma, victo Pompeio. ¹⁶ belli ciuilis.

armatum ¹⁷: ut ¹⁸ etiam ille sit melior, qui ¹⁹ in
acie cecidit, qui in causa ²⁰ animam profudit ²¹,
quae enim ²² pertinacia quibusdam ²³, eadem a-
liis constantia videri potest. Sed iam ²⁴ omnis fra-
cta ²⁵ dissensio est armis ²⁶, & extincta aequitate
²⁷ victoris, restat ²⁸, ut omnes vnum velint ²⁹,
qui modo habent aliquid non solum sapientiae,
sed etiam sanitatis ³⁰. Nisi te, C. Caesar, salvo ³¹,
& in ista sententia ³², qua cum ³³ antea, tum ³⁴
hodie vel maxime usus es ³⁵, manente, salui esse
non possumus. Quare omnes te, qui haec ³⁶ sal-
ua esse volumus, & hortamur, & obsecramus, ut
vitae, ut salutis tuae consulas ³⁷; omnesque tibi,
ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipse sentio,
quoniam subesse ³⁸ aliquid ³⁹ putas, quod cauend-
um sit, non modo excubias & custodias ⁴⁰, sed
etiam laterum nostrorum oppositus & corporum
pollicemur ⁴¹.

¹⁷ belli cupidum. ¹⁸ adeo, ut. ¹⁹ & qui in causa. ²⁰
factione, Pompeii partes defendens perit. ²¹ cecidit. ²²
id enim quod. ²³ videri potest. ²⁴ postquam tu Caesar
viciisti. ²⁵ superata, victa, remota. ²⁶ per arma. ²⁷ per
aequitatem & clementiam. ²⁸ iam id vnicum adhuc su-
perest. ²⁹ ut omnes vnum sentiant & viuant contordes.
³⁰ sanae rationis ac mentis. ³¹ nisi tu viuis. ³² & nisi
tu manes in ea sententia. ³³ tam. ³⁴ quam. ³⁵ ostendi-
sti, dum Marcello clementer ignauisti. ³⁶ hanc repu-
blicam. ³⁷ prospicias, ne in periculum te coniicias. ³⁸
adesse, latere. ³⁹ aliquod periculum. ⁴⁰ custodes cor-
poris tui. ⁴¹ sed pollicemur etiam, quod velimus corpori
tuo opponere & illud stipare corporibus lateribus no-
stris, ut tu, nisi per latera nostra, tangi non possis.

CAPVT

CAPVT XI.

Sed vnde ¹ est orsa ², in eodem terminetur ³ oratio ; maximas tibi omnes gratias agimus ⁴, C. Caesar : maiores ⁵ etiam habemus ⁶, nam omnes idem sentiunt ⁷ : quod ex omnium praecibus & lacrymis sentire potuisti. Sed quia non est stantibus ⁸ omnibus necesse dicere : a me certe dici volunt ⁹ : cui ¹⁰ necesse est ¹¹ quodammodo, & quod ¹² volunt, & quod decet, & quod M. Marcello a te huic ordini populoque Romano & Reipublicae reddito, fieri intelligo ¹³. Nam laetari omnes, non vt ¹⁴ de vnus solum, sed vt de communi omnium salute, sentio : quod ¹⁵ autem summae beneuolentiae est, quae mea erga illum omnibus semper nota fuit, vt vix ¹⁶ C. Marcello, optimo & amantissimo fratri, praeter eum quidem, cederem nemini, cum ¹⁷ id sollicitudine, cura, labore tamdiu praestiterim ¹⁸, quamdiu est de illius salu-

¹ In eo argumento, in ea materia. ² in qua coepit Oratio mea. ³ iam finiri debet. ⁴ verbis. ⁵ gratias. ⁶ in animo. ⁷ eandem habent sententiam & voluntatem. ⁸ quia non necesse est, vt omnes illi Senatores, qui heic stant, verba faciant. ⁹ illi itaque iam volunt vt ego verba faciam nomine omnium. ¹⁰ mihi. ¹¹ dicere. ¹² quoniam. ¹³ quoniam video, me posse hac oratione mea prodesse M. Marcello, quia te redditus nunc Senatus & populo Romano. ¹⁴ tanquam ob. ¹⁵ illud vero quod pertinet & spectat ad beneuolentiam meam erga Marcellum, debeo ipsi hoc tempore praestare &c. ¹⁶ vt vix in Marcello amando cederem fratri eius. ¹⁷ potissimum, cum. ¹⁸ eam beneuolentiam ipsi demonstrauerim.

salute dubitatum : certe hoc tempore , magnis
 curis, molestiis, doloribus ¹⁹ liberatus, praestare
 debeo. Itaque, C. Caesar, sic tibi gratias ago, vt
 omnibus me rebus a te non conseruato solum, sed
 etiam ornato ²⁰, tamen ad tua innumerabilia in me
 vnum merita ²¹, quod fieri iam posse non arbitra-
 bar ²², maximus hoc tuo facto ²³ cumulus ²⁴ acces-
 serit.

¹⁹ quos pro eius salute impetranda suscepi. ²⁰ post-
 quam ego omnibus in rebus non solum sum conseruatus
 a te, sed etiam ornatus magnis honoribus. ²¹ beneficia.
²² quod iam fore non credidissem. ²³ hac tua tu Marcel-
 lum clementia. ²⁴ beneficium.

SENTENTIAE.

Modus in summa potestate rerum omnium lau-
 dandus est.

Qui in eadem causa fuerunt, par est eos in
 eadem esse fortuna.

Reip. dignitatem priuatis vel doloribus vel suspē-
 sionibus anteferre oportet.

Magna in dato beneficio laus est, cum in accepto
 magna est gloria

Est vere fortunatus ille, cuius ex salute non mi-
 nor pene ad omnes, quam ad illum ventura sit, lae-
 titia peruenerit.

Humanarum rerum domina est fortuna.

Fortuna in gloriae clementia partae societatem
 se non offert.

Nunquam temeritas cum sapientia commiscetur,
 nec in consilium casus admittitur.

Iracundia est inimica consilio.

Victoria natura insolens & superba.

Frequenter euenit, ut eos, quos nunquam vidimus, diligamus.

Nihil est opere aut manu factum, quod non aliquando consumat vetustas.

Laus iustitiae & clementiae florescit quotidie magis ac magis.

Nonnunquam qui culpa tenentur erroris humani, tamen a scelere liberantur.

Valere debet apud nos grati animi fidelis memoria.

Dubitari non potest, quae fuerit eius voluntas de bello, qui pacis auctores conseruandos putat, caeteris est iratior.

Incertus est exitus & fortuna belli.

Plerumque praestat non dimicare, quam vincere.

Ex moribus maximus est fructus, iucunditasque sapientiae.

Tantus est splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & consilii dignitas, ut vel haec a virtute donata, cetera a fortuna commodata esse videantur.

Non oportet in conseruandis viris bonis defatigari.

In bellis ciuilibus non semper culpa ducis est, si eum aliqui timent; contraque summa laus, quod plerique minime timendum putant.

Principum cautio subditorum cautio est.

Praestat videri nimis timidum, quam parum prudentem.

Non est credibilis tantus in ullo furor, ut quis
duce omnia sit adeptus, huius vitam non anteponat
suae.

In animis hominum magnae latebrae sunt, &
magni recessus.

Qui auget suspicionem insidiarum, auget & dili-
gentiam.

Nonnunquam vnius principis vita totius reipu-
blicae salus continetur.

Incerti sunt euentus valetudinis.

Dolendum est, rempublicam, quae immortalis esse
debet, in vnius mortalis anima consistere.

Ad ordinandum remp. constituenda iudicia, reuo-
canda fides, comprimendae libidines, propaganda so-
boles, omnia, quae dilapsa iam fluxerunt, seueris le-
gibus vincienda.

In civili bello multa dux facit armatus, quae toga-
tus facere prohiberet.

Nos debemus alieno periculo esse sapientes.

Non nobis solis vivimus.

Multum abest a perfectione summorum operum,
qui fundamenta, quae dogitat, nondum iecerit.

Gloria, quae aliis quamuis multis satis est, vni for-
ti & generoso viro parum est.

Quicquid est, quamuis amplum sit, id certe pa-
rum est, cum est aliquid amplius.

Gloria est illustris & peruagata multorum & mo-
gnorum, vel in suos, vel in patriam, vel in omne ge-
nus hominum, fama meritorum.

Qui & patriae, quod debet, soluerit, & naturam
ipsam expleuerit satietate viuendi, dicere potest, se
satis diu vixisse.

Nihil

Nihil est diu, in quo est aliquid extremum: quod cum venerit, omnis voluptas praeterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit.

Magnas angustias natura vobis ad viuendum dedit.

Immortalitatis amore flagrandum.

Non est vita dicenda quae corpore & spiritu continetur.

Seruiendum etiam iis iudicibus, qui multis post seculis de nobis iudicabunt.

Posteriores de nobis & sine amore & sine cupiditate, & rursus sine odio & inuidia iudicabunt.

Etsi posterorum iudicium ad nos nihil pertineret, nunc certe pertinet nos esse tales, ut nostras laudes obscuratura nulla unquam sit obliuio.

Non fortuna inflammandum odium, sed bonitate leniendum.

Ingratus est iniustusque ciuis, qui armorum periculo liberatus animum tamen retinet armatum.

Quae pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest.

Concordiam amant, qui habent aliquid non solum sapientiae sed etiam sanitatis.



ORA-

ORATIO III.

quae est

PRO Q. LIGARIO.

Argumentum Orationis pro Ligario.

EX hac Oratione constat, quod Tubero, vel Pansa pater eius, Ligarium vehementer accusarit, tanquam Africam tenuerit contra Caesarem, eamque Pompeianis Regique Iubae seruarit, Tubero, a Senatu eo misso, excluso. Cicero negat quidem Ligarium illa culpa teneri, aut saltem minus quam ipse Tubero, quippe qui Africam mox traditurus fuisset Pompeianis, quandoquidem a Varo, Africam tenente, terra prohibitus querelas suas detulit ad Cn. Pompeium. Sed submissione & deprecatione solitae Caesaris clementiae magis nititur orator.

Status sunt duo: Defensio & Deprecatio.


Partes Quatuor: Exordium, Narratio, Contentio, Peroratio.

Stylus dicendi hic mediocris, acutus & subtilis.

Habita Oratio Caesare ex Africa victore redeunte, A. V. C. 707. Iulio Caesare III. M. Aemilio Coss. cum Cicero annum aetatis LXI. ageret.

Genus est iudiciale, quatenus accusatur & defenditur Ligarius.

Euentus fuit talis, ut Caesar permotus hac oratione ad Clementiam absoluerit crimine Ligarium.



ORA-